domino principali suo aliquem exequutorem idoneum ad citandos reverendos dominos Stanislaum Goreczki canonicum, Stanislaum Varschawicki rectorem, Petrum Skarga concionatorem, patres Collegii Societatis Ihesu Vilmensis, necnon generosos et egregium dominos Augustinum Rotundum Mileski iuris utriusque doctorem, sacre regie maiestatis secretarium, advocatum, Albertum Przetocki magnum procuratorem castrum Vilmensis et prefectum rei monetariae in Magno Ducatu Lithuaniae, Simonem Militium philosophiae et medicinae doctorem, supramemorati reverendissimi domini Vilmensis episcopi et commissarii phisicum ac Ioannem Podoski bonorum episcopatus Vilmensis Ihumieno capitaneum seu procuratorem et advocatum subditorum episcopatum in civitate Vilmensi ibidem praesentes et iudicialiter comparentes ut et tanquam testes ad perhibendum testimonium veritatis de et super contentis commissionis seu alias articulorum suprascriptorum per prenomatum reverendum dominum iudicem subdelegatum dari et deputari debita cum instantia petiit postulavitque. Praefatus vero reverendus dominus iudex subdelegatus praedicto nobili Paulo Boxycz procuratore instante et petente ad actum huiusmodi citationis praepetite [f. 281] nobilem Andre- am Strzalkowski²¹ sacra auctoritate apostolica publicum et venerabilis capituli cathedralis ecclesie Vilmensis notarium ibi tunc praesentem in exequutorem deputavit, qui quidem exequutor taliter deputatus retulit in iudicio coram praefato domino subdelegato iudice et me notario publico supra et infrascripto statim et in continenti se citasse supranominatos dominos testes ibidem, ut praemissum est, praesentes et personaliter apprehensos, prout et quemadmodum habuit ab ipso domino subdelegato iudice in mandatis. Cuius exequutoris relatione taliter (ut praemittitur) facta supradictus nobilis Paulus Boxycz procurator supranominatos dominos testes ibi praesentes et astantes ad perhibendum testimonium veritatis de et super contentis commissionis seu articulorum suprascriptorum cogi et compelli iuramentaque solita de dicenda veritate ab eis recipi et ad examen eos admitti et examinari mandari cum debita instantia postulavit. Qui quidem dominus iudex subdelegatus suprascriptus recepto a supranominatis dominis testibus, videlicet Stanislao Gorecki canonico, Augustino Mileski, Alberto Przetocki, Simone Militio et Ioanne Podoski, et eorum quolibet corporali iuramento per eos et eorum quemlibet de dicenda veritate in forma prestito illos ac suprascriptos dominos Stanislaum Varschawicki et Petrum Skarga ad examen admisit et per se in mea notarii publici supra et infrascripti [praesentia?] seorsim et singillatim ad contenta commissionis seu articulorum superius insertorum examinandos duxit et examinavit, prout in eorum examine et depositione inferius continetur et habetur praesentibus quibus iam supra. Quorum testium sic, prout premissum est, citatorum, iuratorum et examinerum examen et depositio erat et est talis, prout sequitur.

²¹ Andrius Strzałkowski (Strzalkowski), Vilniaus katedros kapitulos raštininkas bent nuo 1556 m.

Depositio primi testis. Ad generalia interrogatoria. [f. 282] Reverendus dominus Stanislaus Gorecki²² canonicus cathedralis ecclesie Vlnensis. Reductum est ei ante omnia in memoriam iuramentum per eum tactis Scripturis Sacrosanctis Sancti Dei Evangelii de dicenda veritate prestitum. Missam celebravit die hesterno in ecclesia cathedrali Vlnensi. Non est informatus, qualiter deponere debeat, nihilque sibi datum neque dari promissum pro ferendo in huiusmodi causa testimonio. Non est colloquutus cum suis contestibus de unanimitate testimonio ferendo. Et in aliis generalibus interrogatoriis est debite examinatus.

Super articulis supracriptis

Idem qui proxime supra testis super primo articulo per supranominatum reverendum dominum subdelegatum iudicem interrogatus et examinatus medio iuramento de dicenda veritate praestito deposuit et dixit illustrem dominum Georgium Radzivil coadiutorem reverendissimi domini Vlnensis episcopi et commissarii suprascripti fuisse ex legitimo matrimonio procreatum, nempe illustrium ac magnificorum dominorum Nicolai Radzivil²³ et Helisabetis Szydłowiczka²⁴ amborum ex clarissimis parentibus progenitorum matrimoniumque per eosdem praedicti domini coadiutoris parentes fuisse contractum secundum ritum sancte matris Ecclesie Catholice Romane in civitate Sandomiriensi Regni Polonie supra fluvium Istulam sita²⁵, et hoc in manibus (ut testis audivit) reverendi domini Andree Czarnkowski²⁶ scholastici Cracoviensis, sacre regie maiestatis secretarii. In quorum dominorum parentum praefati domini coadiutoris nuptiis erat praesentia sua serenissimus princeps dominus Sigismundus Augustus rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae etc. et magna pars senatus Regni eiusdem Pol[on]ie et huius Ducatus Magni Lithuaniae. De quibus omnibus per universum Polonie et hic Lithuaniae publicissima habetur fama.

Super secundo articulo idem qui proxime supra testis examinatus deposuit et dixit supranominatum illustrem dominum coadiutorem fuisse educatum a dominis parentibus suis suprascriptis, dum vixerunt, post mortem vero eorum existentem sub certis tutoribus illustris dominus Nicolaus Christophorus²⁷ frater germanus in Germaniam causa studiorum ablegaverat²⁸, et quum ante biennium idem dominus coadiutor ex Germania rediit hic [in?] patriam suam, nulla spe coadiutorie vel alicuius alterius

²² Stanislovas Goreckis (Gorecki; mirė 1585 m.), Vilniaus katedros kanauninkas nuo 1569 m.

²³ Mikalojus Radvila Juodasis (1515–1565), Vilniaus vaivada ir LDK kancleris.

²⁴ Elżbieta Szydłowiecka-Radvilienė (1533–1562).

²⁵ M. Radvilos Juodojo ir E. Szydłowieckos vestuvės Sandomeže įvyko 1548 m. vasario 12 d.

²⁶ Andrius Czarnkowski (Czarnowski; 1507–1562), Žygimanto I sekretorius nuo 1541 m., Krokuvos katedros scholastikas nuo 1543 m., Poznanės vyskupas nuo 1553 m.

²⁷ Mikalojus Kristupas Radvila Našlaitėlis (1549–1616).

²⁸ 1570–1572 m. J. Radvila mokėsi Leipcigo universitete.

dignitatis hereticis oppinionibus sponte valedixit et renunciavit ad Ecclesiamque sanctam Catholicam Romanam cum omni reverentia et humilitate accessit²⁹.

Super tercio articulo testis idem requisitus deposuit illustrem dominum coadiutorem agere annum vigesimum primum³⁰ citra vel ultra.

Super quarto articulo deposuit idem testis p̄nominatum illustrem dominum coadiutorem ea scientia polere litterarum, quod huic aetati suae optime et pulchre respondere potest.

Super quinto articulo testis requisitus, quod illustris dominus coadiutor ante confirmationem sui a sancta Sede Apostolica et ad praesens in nullam partem bonorum episcopatus gratia administrationis eius se immiscuit nec a se ipso hunc honorem assumpsit, quod certum esse asseruit.

Super sexto articulo testis idem deposuit illustrem dominum coadiutorem tempore postulationis de se factę³¹ et ante nullis penitus fuisse censuris ecclesiasticis irretitum, prout et nunc ab eis est liber. [f. 284]

Super septimo articulo testis idem deposuit et dixit illustrem dominum coadiutorem nullo personę vicio esse reprobatum.

Super octavo articulo testis p̄scriptus deposuit sępenominatum illustrem dominum coadiutorem fuisse non vicioso corpore omniaque membra, quę in conspectum veniunt, dixit esse firma et valida.

Super articulo nono testis examinatus deposuit eundem illustrem dominum coadiutorem nulla enormia delicta commisisse, quae a sacerdotis munere illum prohibere et ab administratione sacramentorum repellere debeant.

Super ultimo articulo praefatus testis deposuit et dixit illustrem dominum coadiutorem fuisse iam talem aliqua ex parte, qualem Apostolus describit. Speratur tamen, cum litteris et pietati operam dederit³², propius ad eam normam accessurum.

Quo autem ad statum ecclesiae testis sup̄scriptus eodem quo supra iuramento medio examinatus deposuit dignitates seu p̄laturas esse in ecclesia cathedrali sup̄dicta Vilnensi sex, nempe p̄posituram, decanatum, archidiaconatum, custodiam, cantoriam et scholastiam, p̄bendas vero seu canonicatus duodecem, quorum maior pars abest ab ipsa ecclesia, vivuntque p̄lati ipsi et canonici ex redditibus villarum et p̄diorum seu p̄stimoniorum suorum satis sufficienter et honeste. Parochiales ec-

²⁹ J. Radvila grįžo į katalikų tikėjimą 1573 m. birželio 2 d. (žr. P. Rabikauskas, „Medžiaga senojo Vilniaus universiteto istorijai [V]. Vilniaus akademijos rektorai (1569)–1579–1773“, *Lietuvių katalikų mokslo akademijos metraštis*, t. 5, red. A. Liuima, Roma, 1985, p. 247, nuor. 89).

³⁰ J. Radvila gimė 1556 m. gegužės 31 d., todėl informacinio proceso surašymo metu (1575 m. liepos 4 d.) jam ėjo 20 metai.

³¹ V. Protasevičius paprašė Vilniaus katedros kapitulos skirti J. Radvilą savo koadjutoriumi 1574 m. gegužę.

³² Buvo numatyta, kad J. Radvila savo išsilavinimą ir teologines žinias gilins Romoje, kur išvyko dar tą pačią 1575 m. rudenį.

clesias supradicto episcopatu Vilnensi dixit subesse ultra ducentas, quarum maior pars ab hereticis Ecclesię Dei inimicis est occupata, spoliata et devastata.

Deposuit praeterea testis suprascriptus populi multitudinem esse magnam et copiosam in hac civitate et dioecesi Vilnensi [f. 285] diversę religionis et diversarum sectarum, nempe catholicorum, schismaticorum, Lutherianorum, Zvinglianorum, anabaptistarum, Iudeorum et Scitarum seu Tartarorum, qui sua delubra habent. Reverendissimi domini Vilnensis episcopi valetudinem dixit esse satis affectam doloribusque podagricis assiduis valde afflictam. Coadiutorem vero tum propter huiusmodi debilem valetudinem, tum etiam ut in hac temporum perversitate et licentia is sit, qui et sub ea senili sua etate Ecclesiam Dei deffendat et talis tandem succedat, de cuius virtutibus et familię potentia multa sibi omnes persuadeant et facile etiam adversariis Ecclesiae resistere et sese pro ipsa Ecclesia Dei et eius bonis oppugnare valeat. Iurisdictionem autem ac bonorum ecclesię et reddituum possessionem per hereticos et ceteros malos homines maxime attritam esse asseruit. Et tantum deposuit.

Depositio secundi testis. Ad generalia interrogatoria.

Reverendus pater dominus Stanislaus Varschawicki³³ rector Collegii Societatis Ihesu Vilnensis. Missam celebravit die hodierno, non est informatus, qualiter deponere debeat, nec colloquutus cum aliis contestibus suis de unanimi testimonio ferendo. Et in aliis generalibus interrogatoriis est debite expeditus.

Super articulis suprascriptis dominus testis praescriptus interrogatus et examinatus depositionem suam sub conscientia sua sacerdotali supramemorato reverendissimo domino commissario seu alias dominationis suę reverendissimae iudici subdelegato superius nominato facto et in scriptis obtulit et exhibuit tradiditque, cuius tenor sequitur talis de verbo ad verbum.³⁴

Ad primum. Dixit notissimum esse omnibus, quibus parentibus [f. 286] natus sit, patre videlicet illustri domino Nicolao Radziwil in Olyka et Nieszewiz duce, palatino Vilnensi apud regem Sigismundum Augustum gratiosissimo, matre vero domina Helisabeta a Shydlowiecz nobilissima familia in Polonia, utrumque vero parentem, cum matrimonio iungeretur, fuisse adhuc catholicum, immo matrem animo fuisse ad mortem catholicam, quamvis mariti causa aliqua disimulare cogeretur. Solemnisationi nuptiarum se non interfuisse, verisimile autem esse, cum uterque parens fuerit tum catholicus, more Ecclesię Romanę solemnisationem esse.

Ad secundum dixit a puero educatum esse a parentibus, postea vero in Germaniam missum cum propter linguam addiscendam, tum propter studia litterarum, indole

³³ Stanislovas Varševickis (Warszewicki; apie 1530–1591 m.), Vilniaus kolegijos rektorius (1570–1578).

³⁴ Kitų liudytojų parodymuose nuolat pasikartojančių faktų apie J. Radvilos tėvus, išsilavinimą ir kt. nebeaiškiname.

esse optima et ad virtutem nata, cum nullo negotio, immo magno ardore animi doctrinis hereticorum, quę fons et sentina sunt omnium viciorum, statim, ut catholicam doctrinam audivit, renunciavit. Moribus etiam, quantum ab eo tempore, quo illum cognovit, animadvertere potuit, esse probatissimum et eiusmodi, qui facile quemvis in amorem sui possint pertrahere.

Ad tertium. Dixit sibi certo non constare de anno aetatis suae, videtur tamen agere vigesimum primum aut iam completurum esse. Porro morum gravitate et maturitate id, quod per etatem deest, egregie supplere.

Ad quartum. Dixit eum in litteris pro aetate optima fundamenta iecisse, in grammaticis, dialecticis et rhetoricis bene profecisse. Philosophiae etiam principia degustasse et controversiarum in fide non esse ignarum. In stilo fore promptum et expeditum ac valde felicem, maxime ubi [f. 287] sese ad imitationem Ciceronis³⁵ diligentius composuerit. Ingenio et memoria valere. Ad nullum gradum in theologia vel iure canonico, quod sciat, promotum esse, sed cum in Urbe dare velit operam litteris, satis esse temporis, ut ad eam eruditionem perveniat, qua quemvis doctrinae gradum consequi possit.

Ad quintum. Dixit tantum abesse, ut, posteaquam est nominatus et in coadiutorem postulatus, ante confirmationem Sedis Apostolicae se in administrationem episcopatus ingesserit, ut etiam nullam possessionem bonorum a reverendissimo domino Vilnensi ratione coadiutorię petierit, nisi ei ultro ipse Reverendissimus atque id valde exiguum assignaret.

Ad sextum. Dixit de nulla excommunicatione aut suspensione aut censuris, quibus innodatus fuerit, se scire non tantum tempore postulationis, sed etiam toto vitę illius tempore nisi forte propter errorem haeresis, in quo per ignorantiam, quia inter hereticos educabatur, aliquandiu fuit, quem multo ante, antequam nominaretur et postularetur, abiuravit.

Ad septimum. Dixit nunquam alias electum ne ullo vicio personae fuisse reprobatum.

Ad octavum. Dixit nulla corporis deformitate aut defectu viciatum esse, quominus ad sacros ordines promoveri possit, quantum ex eis, quae apparent, cognosci potest.

Ad nonum. Dixit non solum a crimine graviorum delictorum, verum etiam ab omni suspitione esse alienum nec [f. 288] aliquid eius ad sacerdotium [?] assensum vel sacramentorum suo tempore administrationem impedire.

Ad decimum. Dixit talem esse iam aliqua ex parte, qualem describit Apostolus, sperare autem deinceps, cum in Urbe litteris ac pietati operam dederit, propius ad eam normam accessurum.

³⁵ Markas Tulijus Ciceronas (Marcus Tullius Cicero; 106–43 m. prieš Kristų), senovės Romos oratorius, rašytojas ir politikas. Cicerono raštų stiliaus sekimas ir imitavimas buvo pagrindinis jėzuitų metodus mokant lotynų kalbos.

Ad undecimum. Dixit esse quidem ecclesiam cathedralem, non tamen plenum numerum canonicorum et prelatorum continere, cum tantum duodecem canonicos et sex prelatos habeat, inter quos esse prepositum, episcopum Kiioviensem hereticum³⁶, qui apud ecclesiam nunquam residet, et quia est nobilissima et potenti familia ortus, bona prepositurę non esse adempta illi, quod impune liceat cuilibet esse heretico, nec rex brachium suum contra illos extendere voluerit, censuras autem et excommunicationes non curent. Reditus prelatorum et canonicorum satis esse bonos, quibus honeste sustentari possint, nisi iniquitate temporum et ab hereticis multum fuisset illis detractum. Parochiales in dioecesi, quantum sciat, esse ultra ducentas, ceterum circiter octoginta ab hereticis esse vel occupatas vel prophanatas, cum nullum ius a rege episcopis querentibus contra illos diceretur.

Ad duodecimum. Dixit amplam esse valde dioecesim, sed magnam in multis locis divinarum rerum ignorantiam, cum pauci admodum rustici sciant Orationem Dominicam nec discere velint aut possint idque propter malam ab inicio institutionem, cum Lithuania converteretur³⁷, non enim habebant sacerdotes, qui lingua eorum uterentur, sed ex Polonia mittebantur. Quo factum esse [f. 289], ut ritus tantum aliquos et ceremonies didicerint, doctrinę vero propemodum nihil. Posteriores autem maiores suos immittantur nec id discere volunt, quod illi, quorum tempora foeliciora putant, ignorant. Episcopum autem esse provecę aetatis et valde affecta valetudine et maxima ex parte in lectulo decumbere eaque de causa coadiutorem postulasse. Quamvis enim animo et memoria egregie vigeat et Ecclesiam ac Rempublicam opera et consilio suo plurimum iuvet, tamen propter podagrae et chiragrę morbum publicis in ecclesia muneribus fungi iam pridem non potest. Reditum vero episcopatus computatis omnibus, quod sciat, ad decem millia florenorum pertingere et vix unquam ad maiorem summam extendi posse.

Depositio tertię testis. Ad generalia interrogatoria.

Reverendus pater dominus Petrus Skarga³⁸, concionator Collegii Societatis Ihesu Vilmensis. Missam celebravit die hodierno. Non est informatus, qualiter deponere debeat, non colloquutus cum aliis contestibus suis de unanimi testimonio ferendo. Et in aliis generalibus interrogatoriis est debite expeditus.

Super articulis suprascriptis. Dominus testis prescriptus interrogatus et examinatus depositionem suam sub conscientia sua sacerdotali supramemorato reverendissimo domino commissario seu alias dominationis suę reverendissimę iudici subdelegato facto et in scriptis obtulit atque tradidit, cuius tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis.

³⁶ Kalbama apie Mikalojų Pacą (apie 1527–1585 m.), Kijevo vyskupą nominatą (1557–1583), Smolensko pilininką nuo 1583 m. J. Radvila 1582 m. pašalino jį iš Vilniaus katedros kapitulos.

³⁷ Turimas galvoje Lietuvos krikštas 1387 m.

³⁸ Petras Skarga (1536–1612), pirmasis Vilniaus akademijos rektorius (1579–1582).

In nomine Domini. Ad hæc, quę in causa illustris domini Georgii Radzivil ducis in Olyka et Nieswiz interrogantur, requisitus ita respondeo.

1. Natus est ex insigni et illustri familia Radzivilorum [f. 290] patre Nicolao Radzivil duce in Olyka et Nieswiz, matre comitissa de Shydlowiecz ex legitimo matrimonio iuxta sanctę Romanę Ecclesię ritum solennem et receptum inito.

2. Uti accepi, educatus est puer ab ipsis parentibus matre cito defuncta, adolescens missus est in Germaniam gratia studiorum. Mores habet maturos et generosos, modestia in primis et erga divina singulari affectu commendatus. Elucet in illo zelus pro Ecclesia Dei, devotio, pudicitia, sobrietas, parendi denique rectis monitis et consiliis facilitas.

3. Agit annum, ut puto, iam vigesimum, non dubito maturescentibus cum aetate moribus, adhibita diligenti in rebus ecclesiasticis exercitatione et optimorum doctorumque consuetudine, utilissimum Dei Ecclesię in hac provintia futurum.

4. Scientia humaniorum excellit, valet in scribendo et Latine linguę profectum, totam suam etatem hactenus in studiis exegit, maximo erga litteras et bonas artes ediscendas tenetur desiderio nec ingenii illi acumen et celeritas deest. Publicum academię testimonium nec gradum habet ullum, sed bona spe prelucet ad docendum etiam utilem se fore.

5. Non se in administrationem episcopatus ante Sedis Apostolicę confirmationem ingressit.

6. Nec fuit tempore postulationis excommunicationis nec ullis censuris impeditus.

7. Nec est vicio suo ullo in postulatione in coadiutorem reprobatus.

8. Corpore est integer. [f. 291]

9. Nulla gravia delicta commisit, quę illum a sacramentorum usu vel a sacerdotalium munerum exercitio prohibeant.

10. Virtutes, quas beatus Apostolus in episcopo desiderat, si nondum est plene consequutus, semina tamen omnium insignia, ut aliqua earum incrementa iam habere videtur, excepto quod fere neophitus existat.

De statu ecclesię Vilnensis. Sex in cathedrali prelati, duodecem canonici sunt instituti, altaria complura, vivunt ex redditibus villarum et precliorum, quos, ut audio, uberes habent, pauci resident, ex preclatis duo tantum, dominus custos, qui iam est nominatus Samogitię³⁹, et dominus cantor⁴⁰, quatuor autem canonici. Ceteri vel nomine sunt vel in aulis vel in Polonia. Prepositura ab apostata nominato episcopo Kiioviensi retinetur. In tota dioecesi, quę est satis ampla et in Europa versus aquilo-

³⁹ Turimas galvoje Merkelis Giedraitis (apie 1536–1609 m.), Vilniaus katedros kustodas nuo 1572 m., Medininkų vyskupas nuo 1576 m. M. Giedraitis nominacinį raštą iš Henriko Valua gavo 1575 m. balandį ar gegužę Paryžiuje.

⁴⁰ Turimas galvoje Simonas iš Brzezinų, Brzezińskis (Brzeziński; mirė apie 1594 m.), Vilniaus katedros kantorius nuo 1570 m.

nem ultima catholica, parrochię erant circiter, ut audio, trecentę et omnes munificentissime dotatę et quedam ex illis satis opulentę. Sed iam magna pars earum est ab hereticis violata et direpta. Multas etiam avaricia et negligentia non residentium perdidit. Pauce sunt, ut audio, in quibus ipsimet parrochi populum pascerent. Alii etiam nec vicarios nec ullos sacerdotes in parrochiis habent. Populus catholicus partim ad hereticos defecit, partim necessitate schismaticorum sacramentis, praesertim Baptismo, utitur. Multi et pueri et aliqui iam adulti sine baptismo vivunt, pastoribus, praesertim qui linguam norint Lithuanicam, omnino aliqui destituti. Cleri disciplina propter brachium seculare [f. 292], quod iam per multos annos ecclesię defuit, et homines, quos heresis induxit in insolentiam, fere est dissoluta, scandalis, in parrochiis praesertim, plena sunt omnia. Sed iam gravius videtur nocere ipsa sacerdotum inopia, qua valde haec provincia laborat. Populi multitudo in hac dioecesi est maxima, cuius magna pars in multas sectas disecta est. Alii sunt schismatici, alii Lutheriani, Zvingliani, anabaptistę preter Iudeos et Machometanos Tartaros, qui hic etiam sua delubra habent. Catholicus populus, cui se in dies aliqui ex schismaticis et hereticis adiungunt, est ad divina et cultum religionis singulariter affectus, ubi duces pietatis non deessent, facile ad omnes virtutes induceretur. Episcopi valetudo et satis affecta et talis, ut se vix lecto a multis annis podagricus levet, accessit et aetas iam omnino senilis, fere enim iam annum septuagesimum attingit. Autoritas eius est maxima in Lithuania, primum in senatu et publicis functionibus obtinet locum.

Qui sint ecclesię reditus et valor sacrarii, non satis habeo cognitum. Aedificia Reverendissimi et canonicorum sunt satis commoda. Quod vero coadiutorem Reverendissimus postulet, hanc puto precipuam causam, ut in hac temporum perversitate et licentia rebusque Regni et provincię huius ita nutantibus is sit, qui et sub se iam sene ecclesiam deffendat et talis tandem succedat, de cuius virtutibus et familię suae potentia multa sibi omnes persuaserunt, ne se defuncto ecclesia in manus alicuius heretici, uti Kioviensi accidit, incidat, [f. 293] sed talem potius habeat, qui hereticis etiam splendore et viribus generis sui terrori esse possit. Subscriptio in preinserta depositione talis habetur: Petrus Skarga Societatis Ihesu.

Depositio quarti testi. Ad generalia interrogatoria.

Generosus dominus Augustinus Rotundus Mileski⁴¹ iuris utriusque doctor, sacre regię maiestatis secretarius, in Stokliski tenentarius et advocatus Vilnensis. Reductum est ei ante omnia in memoriam iuramentum de dicenda veritate tacto per eum signo passionis Domini nostri Ihesu Christi in forma prestitum. Non excommunicatur, confessus et communicavit anno praesenti pro festo Sanctissimi Corporis Eiusdem Domini nostri Ihesu Christi proxime transacto [i. e. circa 2 VI 1575] in ecclesia parochiali Divi Ioannis Vilne. Non est informatus, qualiter deponere debeat, nihilque sibi

⁴¹ Augustinas Rotundas Mieleškis (mirė 1582 m.), Vilniaus miesto vaitas nuo 1552 m.

datum nec dari promissum pro ferendo in huiusmodi causa testimonio. Non colloquutus cum ceteris contestibus suis de unanimitate testimonio ferendo. Et in aliis generalibus interrogatoriis est debite examinatus.

Super articulis vero specialibus superius ingrossatis idem dominus testis medio iuramento de dicenda (ut supra premissum est) veritate per eum praestito requisitus et examinatus depositionem suam seu testimonium praememorato reverendissimo domino commissario seu per dominationem suam reverendissimam subdelegato iudici facto et in scriptis obtulit et exhibuit, cuius tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis.

Ad interrogata ego Augustinus Rotundus iuris utriusque doctor, advocatus Vilnensis sic scripto respondeo.

1. An illustris dominus Georgius Radziwil coadiutor episcopatus Vilnensis futurus ex legitimo matrimonio natus sit.

Ad primum. Nuptiis illustrissimorum parentum illustris domini coadiutoris [f. 294] non interfui, sed qui de eius natalibus inquirendum in hoc Magno Ducatu Lithuanie censet, is mihi, an meridie luceat, dubitare videtur. Natus enim est non in obscuro loco, sed ex illustrissimis parentibus patre Nicolao Radziwillo Vilnensi palatino, eo generis et sanguinis viro, quem ob claritatem et amplitudinem adusque Austriacam imperialem domum avorum memoria redundasse testantur scriptores nostrae aetatis probate fidei⁴², natus matre Elisabethe Shydlovicia Christophori Shydlovicii⁴³ Cracoviensis palatini non in Europa solum, sed et in Asia ac Africa clarissimi et celebratissimi viri filia. Functus is Shydlovicius est multis apud exterarum nationum summa cum laude legationibus et amplissimum cancellarium Regni officium memorabili cum dignitate in Polonia ges/s/it, cuius consiliis in gravissimis quibusque de Republica deliberationibus Sigismundus Primus sapientissimus Poloniae rex precipue innitebatur. Absurdum itaque et prorsus abominandum mihi videtur questionem illam moveri, an legitimum matrimonium in ita illustri loco nati coniuges Nicolaus Radzivillus palatinus Vilnensis cum Elisabethe Shydlovicia palatini Cracoviensis filia contraxerint. Ut tamen aliquid ad id, de quo interrogor, clarius respondeam, ex fama publica cognitum habeo contraxisse illos publice Sandomirię ritu catholico per manus, uti accepi, reverendi domini Andreę Czarnkowski postea episcopi Posnaniensis facti. Ex iis legitime natus est illustris et reverendus dominus Georgius Radivil coadiutor Vilnensis futurus.

Ad secundum et tertium respondeo. Posteaquam advocatus Vilnensis sum factus⁴⁴, me semper familiarem et domesticum illustrissimo olim domino palatino, patri

⁴² Sunku pasakyti, kokius to meto istorikus ar rašytojus A. Rotundas čia turi galvoje.

⁴³ Kristupas Szydłowieckis (Szydłowiecki; 1467–1532), Lenkijos Karalystės kancleris nuo 1515 m. ir Krokvos pilininkas nuo 1527 m.

⁴⁴ A. Rotundas Vilniaus vaitu 1552 m.

illustris domini coadiutoris [f. 295] futuri, fuisse et in meo prope conspectu natum illustrem hunc dominum Georgium honestissime ad mortem usque olim matris eius, postea et patris in illustri domo educatum eumque nunc agere existimo annum vigesimum citra vel ultra.

Ad quartum respondeo ea scientia et bonarum artium cognitione mihi eum praeditum videri, quae matura iam aetate in paucis cernitur, saepe enim cum illo de gravibus rebus loquutus singulare ingenii indicium et acumen adolescenti inesse comperi.

Ad quintum. Credo ac certo mihi persuadeo ante nominationem in coadiutoratum se in nullam episcopatus Vilnensis administrationem illustrem dominum coadiutorem futurum irreverenter immiscuisse, est enim et modestus et ex patrimonio opulentus non egens ullis ad praesens episcopalibus adminiculis.

Ad sextum et septimum respondeo nihil me horum scire, immo firmissime credo non fuisse suspensum aut interdictum aut ecclesiasticis censuris affectum tunc, cum ad coadiutoratum postularetur, sed nec antea postulatum a quoquam ad aliquod spirituale munus, a quo esset vicio personae reiectus et reprobatus.

Ad octavum, nonum, decimum respondeo non viciatum corpore eum esse, immo eleganti statura vultuque decoro ornatum, nullo delicto notatum, honestissime se in omnibus actionibus gerere. Ac in summa optima adolescentis indoles id praesertim talem eum episcopum fore, qualem praescripta ab Apostolo regula requirit.

De statu ecclesiae. De eo non esse meum, respondeo, exacte inquirere, quot et qui sunt in ecclesia Vilnensi praelati et canonici, personatus et quibus redditibus vivunt. Video tamen, quicumque in ea sunt ecclesia praelati, canonici et reliqui sacerdotes, honeste et decenter fere omnes vivere, paucos quidem nunc residere hic, plures abesse fortasse dispensatione Sanctae Sedis impetrata. [f. 296]

Populi pro huius regionis conditione satis frequens est multitudo et in cathedrali et in aliis templis cernitur, non tanta quidem, quanta esse deberet. Magnus enim Ducatus Lithuaniae atque ita et haec Vilnensis dioecesis ex dimidia fere schismaticorum parte constat exceptis hereticis, qui plurimi et parvi [s] a catholica fide discesserunt, qui tamen catholici sunt, in omnibus religiosi ac reverenter se tam in cathedrali et parochiali quam in cenobialibus ecclesiis gerere videntur et catholice religionis praescripta servare ac tueri.

Reverendissimus dominus episcopus noster Vilnensis aetatis annum prope septuagesimum agere videtur, cetera sanus, nisi quod podagricis ac chirogricis, quin holagricis saepe doloribus infestatur, propter quos saepe a muneris sui functionibus abesse lecto affixus cogitur, ac propterea coadiutoris succedanea opera egere. Qui sunt episcopatus Vilnensis redditus nescio, sed arbitror multo esse nunc quam antea tenuiores, siquidem licentia stipendiariorum ante aliquot annos episcopalia bona afflictata et vastata esse dicuntur.

Subscriptio vero in p̄scripta depositione talis continetur: Idem qui supra Augustinus Rotundus maioris fidei causa manu mea subscripsi.

Depositio quinti testis. Ad generalia interrogatoria.

Generosus dominus Albertus Przetocki⁴⁵ magnus procurator castris Vilmensis et praefectus rei monetarię in hoc Magno Ducatu Lithuanie. Reductum est ei ante omnia in memoriam iuramentum per eum de dicenda veritate ad Sanctum Dei Evangelium p̄stitum. Non excommunicatur, confessus et communicavit anno praesenti pro festo solennis Paschae [i. e. circa 3 IV 1575] in ecclesia cathedrali Vilmensi. Non est informatus, qualiter deponere [f. 297] debeat, nihilque sibi datum nec dari promissum pro ferendo in huiusmodi causa testimonio. Non colloquutus cum ceteris contestibus suis de unanimitate testimonio ferendo. Et in aliis generalibus interrogatoriis est debite examinatus.

Super articulis suprascriptis. Praefatus dominus testis medio iuramento de dicenda veritate p̄stito interrogatus et examinatus depositionem suam seu testimonium supramemorato reverendissimo domino commissario seu per dominationem suam reverendissimam subdelegato iudici facto et in scriptis obtulit et exhibuit, cuius tenor de verbo ad verbum sequitur talis.

Ad primum. Dico sub conditione iuramenti per me p̄stiti illustrem dominum coadiutorem esse ex legitimo matrimonio, illustrium videlicet ac magnificorum Nicolai Ioannis Radziwil ac Elisabete Szydlowicie amborum istorum coniugum ex clarissimis et nobilissimis illum Magni Ducatus Lithuanie, hanc vero Regni Polonie genus ducentium ac multis et honestissimis dignitatibus usque ad palatinum Vilmensem, qui est honor inter seculares dignitates in Ducatu Lithuanie amplissimus, functorum, natum et procreatum. Inaugurationem vero matrimonii istius fuisse in facie ecclesie in oppido Sandomiria ad Istulam fluvium sito iungente eorum dextras uno ex secretariis regis secundum ritum Romanę Ecclesie. Quorum inaugurationi et nuptiis serenissimus rex Polonie Sigismundus Augustus et magna senatus tam Polonici quam Lithuanici procurante nuptias illustri magnifico Ioanne Tharnovio⁴⁶ castellano Cracoviensi, actore et tutore virginis, intererat.

Ad secundum. Dico illustrem dominum coadiutorem sub disciplina parentum suorum in infantia et puericia fuisse educatum primumque matrem amisisse et post paucos annos patrem. Quo tempore ipse septimum vel octavum agebat annum. Dehinc sub tutoribus et praeceptoribus [f. 298] agentem per illustrem dominum Nicolaum Christophorum Radivilum fratrem suum germanum in Germaniam causa studiorum ablegatum fuisse, et quum illinc ante biennium in patriam redisset, hereticis opinionibus sponte et neque ulla spe coadiutorie huius aut alterius dignitatis illi facta

⁴⁵ Albertas Przetockis (Wojciech Przetocki; 1522–1598), Vilniaus pilies viršininkas nuo 1572 m.

⁴⁶ Jonas Tarnowskis (Tarnowski; 1488–1561), Krokuvos pilininkas nuo 1536 m.

valedixit ad Ecclesiamque Romanam omni externa significatione adhibita cum omni reverentia accessis/s/e ac deinceps modestissime et optimis virtutibus ac ingenuis moribus p̄ditum vixisse ac etiamnunc vivere.

Ad tertium. Illustrem dominum coadiutorem annum undevigesimum aut vigesimum agere certum est.

Ad quartum. Illustrem dominum coadiutorem ea scientia litterarum pollere manifestum est, ut huic aetati suae optime iactis fundamentis pulchre respondeat et ad maiorem ac perfectam frugem doctrinarum, quibus sese maxime idoneum huic coadiutorię et demum successioni in episcopatum p̄stet, adipiscendam spem omnibus non dubiam faciat.

Ad quintum. Illustrem dominum coadiutorem ante confirmationem Sedis Apostolicę in nullam partem administrandi episcopatus se immiscuisse nec a se ipso eum honorem assumpsisse certissimum est.

Ad sextum. Illustrem dominum coadiutorem tempore postulationis suae dico nullis poenis ac censuris ecclesiasticis irretitum fuisse ac etiamnunc immunem ab eis et liberum esse.

Ad septimum. Illustrem dominum coadiutorem alias nunquam postulatum ac vicio personę reprobatum scio.

Ad octavum. Illustrem dominum coadiutorem esse non vicioso corpore ac omnibus membris, qui [s] in conspectum veniunt, firmis et validis certum habeo.

Ad nonum. Illustrem dominum coadiutorem nulla enormia delicta, ob quę munus sacerdotii aut administrationem sacramentorum asse[f. 299]qui non possit, commisisse scio.

Ad decimum. Ab regula Divi Pauli, quam ab episcopo observandam proponit, non dubia spes est ex illustris domini coadiutoris adolescentia et suavissimis moribus ac modestia illum nunquam discessurum et irreprehensibilem episcopum futurum.

Quod attinet statum ecclesiasticum. Ad primum, quot et quę sint dignitates in cathedrali ecclesia, dico esse p̄laturas sex, nimirum p̄posituram, decaniam, archidiaconiam, custodiam, cantoriam et scholastiam. Et praeterea duodecem canonicatus seu praebendas, quorum maior pars ab ecclesia absens est. Quibus redditibus vivant, nescio nec etiam mihi satis constat, quot parrochiales subsint episcopo et quomodo illarum rectores munus suum impleant, illud tamen certum est maiorem partem parrochialium iniuria et malignitate temporum et hominum ab hęreticis spoliata et devastata esse.

Ad secundum. Multitudinem esse plebis et populi plurimam, sed quae constat ex diversis hominum generibus, nimirum catholicis, hęreticis, schismaticis, Tartaris, Iudęis et reliqua colluvię, quę ritus suos observat. Episcopi vero valetudo est satis affecta et aetas ingravescens, ob quas causas in coadiutorem et baculum senectutis suae dicitur sibi ascivisse hunc illustrem adolescentem, cuius generis splendor is est, ea

dignitas et autoritas esse potest, ut non dubitet illum et ecclesię huic ornamēto et sibi nominique suo solatio futurum.

Depositio sexti testis. Ad generalia interrogatoria.

Egregius ac eximius vir dominus Simon Milicius⁴⁷ philosophię et medicinę doctor, reverendissimi domini Vilnensis episcopi et commissarii suprascripti phisicus. Reductum ei in primis in memoriam iuramentum de dicenda veritate ad Sanctum Dei Evangelium praestitum. Non excommunicatur, confessus et communicavit anno praesenti in ecclesia parochiali Sancti Ioannis Vilne pro festo divinissimi Corporis Domini nostri Ihesu Christi proxime praeterito [*i. e. circa 2 VI 1575*]. Non est [*f. 300*] informatus, qualiter deponere debeat, nihilque sibi datum nec dari promissum pro ferendo in huiusmodi causa testimonio. Non est colloquutus cum suis contestibus de unanimi testimonio ferendo. Et in aliis generalibus interrogatoriis est debite examinatus.

Super articulis superius ingrossatis dominus testis proxime suprascriptus medio iuramento de dicenda (prout supra praemissum est) veritate per eum praestito requisitus et examinatus depositiones suas seu testimonium suum supramemorato reverendissimo domino commissario seu per suam dominationem reverendissimam domino subdelegato iudici facto et in scriptis obtulit et exhibuit huiusmodi verborum sub tenore, ut sequitur.

Ad articulos propositos fide et conscientia bona ea profiteor.

Primum. Natus est illustribus parentibus magnificisque et legitimis, loco clarissimo, matrimonio celeberrimo, in facie ecclesię frequentissima congregatione clarissimorum hominum iuxta consuetudinem sanctae Romanae Ecclesię.

2. A parentibus ea diligentia et pietate educatus, ut et nunc mores et virtutes pene viriles habeat.

3. De annis eius mihi non constat certo, sed illud confiteor in ea aetate tam modestos et pios eius mores esse, ut sine dubio Ecclesię Dei semper sit futurus magno auxilio et ornamēto.

4. Scio eum nec doctorem aut licenciatum in aliqua professione esse, verum ea ingenii dexteritate, eo in prodiscendis litteris bonis studio, ut iam non contemnendos progressus in eisdem fecerit.

5. Ad hoc usque tempus nec se administrationi nec titulo episcopatus immiscuit.

6. Aetatem sic integram hactenus egit, ut nullas censuras ecclesiasticas incurrerit. [*f. 301*]

7. Aetatem hanc, quod ego sciam, nullis vitiis enormibus aspersit.

⁴⁷ Simonas Milicijus, Milecijus (mirė po 1592? m.), Vilniaus miestietis, turėjės mūrnamį Šv. Jono gatvėje (žr. *Pergamentų katalogas*, nr. 731).

8. Corpus eius sic est omnibus membris integrum et salvum, ut sit ad omnia obeunda aptus.

9. Enorme nihil eiusmodi admisit, ut non possit ad capessendum tantum munus esse idoneus.

10. Cum nunc eam aetatem quibusque optimis virtutibus et moribus excolat, spem indubiam habere, quod suo tempore per Dei auxilium eum se Ecclesię Dei prębebit pastorem, quem Apostolus sua descriptione comprehendit.

Quae et quot sint dignitates in cathedrali ecclesia Vilnensi, quibus nominibus insignitę, tum quot in eadem dioecesi sint parochiales ecclesię, utcunque tantum scio.

Opera et studio Collegii et Societatis Ihesu frequentiora sunt multo quam ante populo templa et populi mores et disciplina in dies per gratiam Dei et eiusdem Societatis diligentiam magis christianis convenientibus. Episcopi valetudo assiduis pene iam doloribus podagricis valde afflictata. Iurisdictio bonorumque ecclesię et reddituum possessio per hereticos, milites et homines malos valde attrita.

Subscriptio in eisdem depositionibus talis habetur: Ego Simon Militius philosophiae et medicinę doctor, episcopi Vilnensis phisicus.

Depositio septimi testis. Ad generalia interrogatoria.

Generosus dominus Ioannes Podoski⁴⁸ bonorum episcopatus Vilnensis in Ihumieno capitaneus seu procurator et advocatus subditorum episcopalium in civitate hac Vilnensi. Reductum est ei ante omnia in memoriam iuramentum per eum de dicenda veritate tacto signo passionis Domini nostri Ihesu [f. 302] Christi in forma praestitum. Non excommunicatur, confessus et communicavit anno nunc currenti in ecclesia parrochiali Sancti Ioannis Vilnę pro festo solenni Paschę proxime transacto [i. e. circa 3 IV 1575]. Non est informatus, qualiter deponere debeat, nihilque sibi datum nec dari promissum pro ferendo in huiusmodi causa testimonio. Non colloquutus cum aliis suis contestibus de unanimi testimonio ferendo. Et in aliis generalibus interrogatoriis est debite examinatus.

Super articulis suprascriptis. Idem testis proxime supranominatus per sepe-nominatum reverendum dominum subdelegatum iudicem super primo articulo interrogatus et examinatus medio iuramento de dicenda veritate per eum praestito deposuit et dixit illustrem dominum Georgium Radzivil coadiutorem reverendissimi domini Vilnensis episcopi commissarii suprascripti fuisse ex legitimo matrimonio procreatum, nempe illustrium et magnificorum dominorum Nicolai Radzivil et Helisabetis Szydlowiecka amborum ex clarissimis parentibus progenitorum matrimoniumque per eosdem praedicti domini coadiutoris parentes fuisse contractum secundum ritum sanctę matris

⁴⁸ Daugiau žinių apie šį asmenį nepavyko rasti. Igumenas, tuomet Vilniaus vyskupų miestelis Minsko paviete, nuo 1923 m. pervadintas į Červenį (Чэрвень); šiuo metu yra Baltarusijos Minsko srities rajono centras.

Catholicę Ecclesię Romanę in civitate Sandomiriensi Regni Polonię supra fluvium Istulam sita et hoc in manibus (ut testis audivit) reverendi domini Andree Czarnkowski scholastici Cracoviensis, sacrae regię maiestatis secretarii. In quorum dominorum praefati domini coadiutoris parentum nuptiis erat praesentia sua serenissimus princeps dominus Sigismundus Augustus rex Polonię, magnus dux Lithuanię etc. et magna pars senatus Regni eiusdem Polonię et huius Ducatus Magni Lithuanię. De quibus omnibus per universum Polonię et hic Lithuanię publicissima habetur fama. [f. 303]

Super secundo articulo idem qui proxime supra testis examinatus deposuit et dixit supranominatum illustrem dominum coadiutorem fuisse educatum a dominis parentibus suis suprascriptis, dum vixerunt, post mortem vero eorum existentem sub certis tutoribus illustris dominus Nicolaus Christoferus frater germanus in Germaniam causa studiorum ablegaverat, et quum ante biennium idem dominus coadiutor ex Germania rediit hic ad patriam suam, nulla spe coadiutorię vel alicuius alterius dignitatis hereticis oppinionibus sponte valedexit et renunciavit ad Ecclesiamque sanctam Catholicam Romanam cum omni reverentia et humilitate ultro accessit.

3. Super tercio articulo testis idem requisitus deposuit illustrem dominum coadiutorem agere annum vigesimum primum citra vel ultra.

4. Super quarto articulo deposuit idem testis p̄nominatum illustrem dominum coadiutorem ea scientia litterarum pollere, quod huic ętati suę optime et pulchre respondere potest.

5. Super quinto articulo testis requisitus deposuit, quod illustris dominus coadiutor ante confirmationem sui a sancta Sede Apostolica et ad praesens in nullam partem bonorum episcopatus gratia administrationis eius se immiscuit nec a se ipso hunc honorem assumpsit, quod certum esse asseruit.

6. Super sexto articulo testis idem deposuit illustrem dominum coadiutorem tempore postulationis de se factę et ante nullis p̄nitus fuisse censuris ecclesiasticis irretitum, prout et nunc ab eis est liber. [f. 304]

Super septimo articulo testis idem deposuit et dixit illustrem dominum coadiutorem nullo personę vicio esse reprobatum.

Super octavo articulo testis praescriptus deposuit se p̄nominatum illustrem dominum coadiutorem fuisse non vicioso corpore omniaque membra, quę in conspectum veniunt, dixit esse firma et valida.

Super nono articulo testis examinatus deposuit eundem illustrem dominum coadiutorem nulla enormia delicta commisisse, quę a sacerdotii munere illum prohibere et ab administratione sacramentorum repellere debeant.

Super ultimo articulo testis praefatus deposuit et dixit illustrem dominum coadiutorem iam talem fuisse aliqua ex parte, qualem Apostolus describit, speratur tamen, cum litteris et pietati operam dederit, propius ad eam normam accessurum.

Quo autem ad statum ecclesie testis superscriptus eodem quo supra iuramento medio examinatus deposuit dignitates seu prelaturas esse in ecclesia cathedrali supradicta Vilenensi sex, nempe preposituram, decanatum, archidiaconatum, custodiam, cantoriam et scholastiam, prebendas vero seu canonicatus duodecem, quorum maior pars abest ab ipsa ecclesia, vivuntque prelati ipsi et canonici ex redditibus villarum et prediorum seu praestimoniorum suorum satis sufficienter et hone[f. 305]ste. Parrochiales ecclesias supradicto episcopatu Vilenensi dixit subesse ultra ducentas, quarum maior pars ab hereticis Ecclesie Dei inimicis est occupata et devastata.

Deposuit praeterea testis superscriptus populi multitudinem esse magnam et copiosam in hac civitate et dioecesi Vilenensi diverse religionis et diversarum sectarum, nempe catholicorum, schismaticorum, Lutherianorum, Zvinglianorum, anabaptistarum, Iudeorum et Scitarum seu Tartarorum, qui sua delubra habent. Reverendissimi domini Vilenensis episcopi valetudinem dixit esse satis affectam doloribusque podagricis assiduis valde afflictam. Coadiutorem vero tum propter huiusmodi debilem valetudinem, tum etiam ut in hac temporum perversitate et licentia is sit, qui et sub ea senili sua etate Ecclesiam Dei deffendat et talis tandem succedat, de cuius virtutibus et familie potentia multa sibi omnes persuadeant, et facile etiam adversariis Ecclesie resistere et sese pro ipsa Ecclesia Dei et eius bonis oppugnare valeat. Iurisdictionem autem ac bonorum ecclesie et reddituum possessionem per hereticos et ceteros malos homines maxime attritam esse asseruit. Et tantum deposuit.

Acta fuerunt haec Vilne in curia supramemo[f. 306]rati reverendissimi in Christo patris et domini domini Valeriani Dei gratia episcopi Vilenensis et commissarii apostolici eiusque curie domo murata in atrio superiori anno, indictione, die, mense, pontificatu et praesentibus (quo ad actum supra inserte commissionis praesentationis iudicisque subdelegationis et testium superscriptorum productionis ac iuramenti per eos de dicenda veritate praestitionis) quibus supra.

[Sigillum Valeriani episcopi Vilenensis impressum]

[Signum notarile⁴⁹]

Ego, Baltasar Stephani Crassowsky clericus dioecesis Luceoriensis, sacra auctoritate apostolica notarius publicus et coram proxime supramemorato reverendissimo in Christo patre et domino domino Valeriano Dei gratia episcopo Vilenensi commissarioque apostolico supradicto facti praesentis scriba, qui supra inserte commissionis praesentationi, iudicis subdelegationi, testium praescriptorum inductioni et iuramenti

⁴⁹ Notaro ženklas vaizduoja tris koteliais sujungtus žiedus su notaro inicialais *B. C.*, abreviatūra *I. N. R. I. (Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum)* ir Biblijos eilute *Laudans invocabo Dominum et ab inimicis meis salvus ero* iš Senojo Testamento Psalmių knygos (Ps, 17 (18)). Tas pats notaro ženklas yra V. Protasevičiaus testamente (žr. D. Antanavičius, „Vilniaus vyskupo Valerijono Protasevičiaus 1579 m. kovo 26 d. testamentas“, *Lietuvos istorijos metraštis. 2005/1*, Vilnius, 2006, p. 141), taip pat kitame V. Protasevičiaus duotame dokumente (žr. *Lietuvos istorijos paminklai. Iš Lietuvos istorijos ir etnografijos muziejaus rinkinių*, sudarė B. Kulnytė, Vilnius, 1990, nr. 127).

per eos de dicenda veritate praestitioni aliisque omni[*f. 307*]bus et singulis praemissis, dum sic (prout premittitur) agerentur et fierent, una cum testibus supranominatis praesens interfui eaque omnia praemissa ita fieri vidi et audivi, ideo praesentes litteras manu alterius (me tunc aliis occupatum negociis) fideliter scriptas et ulterius a teste ultimo ad finem per me continuatas in hanc publicam formam redegi et in notam sumpsi signoque et nomine meis solitis et consuetis una cum sigilli memorati reverendissimi domini Vilnensis episcopi ac commissarii apostolici impressione communivi et obsignavi in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum rogatus et requisitus.

Processus informativus of 4 July 1575
on Coadjutor Bishop Jurgis Radvila of Vilnius

Darius Antanavičius

Summary

This publication deals with the earliest extant *processus informativus* of Lithuanian Roman Catholic bishops, namely that of Jurgis Radvila in connection with his naming coadjutor to Bishop Valerijonas Protasevičius of Vilnius (1556–1579) on 4 July 1575. The study also comprises the project of the act of the profession of faith by Radvila, issued by the Roman Curia. The genesis of these documents is discussed in the introduction.